

177

73
Virorum Optime, Nobilissime
DOMINE,

An ipsum Parentem meum nunc comiter, an eius tantum litteras, dubium sit: ecce enim litteras, et ecce ipsum Parentem sic vides; vivum quoque, quia ab hoc pectore, quicquid in eius litteris scriptum est, depromitur. Imago accuratissime corpus representat, litterae vero animum tibi exhibent, et hoc modo presentem PUTEANVM habes, quia videri et audiri absens potest. Sed cur ego plura? sinam Parentem loqui, sinam Te quoque avidissimo conspectu ejus frui; qui enim à Te amatur, videri vel in imagine libentissime debet. Adjungo PVR-
PVRÆ frontispitium, de quâ Parens mentionem facit; et quod Parens in gratiam typographi sui CNOBBARI, in gratiam quoque mei, Sororisque EVGENIAE postulat, ego pariter commendo. Verbo; Videre quem amamus sic poterimus. Te enim videre cupimus, quia amamus; à Te autem nos amari intelligemus, si nobis licitum erit eo proficisci, ubi conspectus tuus exhilarare nos poterit. Sic Vale, et familiaritatem hac meam boni consule. Antuerpiae. Idibus Januarij. MDCXXXV.

Titulos meos an cupis?

PUTEANI sum filius,

Patricius Romanus,

Protonotarius Apostolicus, Arcisq̃ue Lovaniensis Praefectus.

Culta et obsequio

semper TVVS

Justus Cecilius Puteanus.

S. M. S.
M 157

